Epistola 90. IOHANNI COCCEJO SAMUEL MARESIUS. 135

S. P.

Clarissime, Doctissime ac Celeberrime Vir,

Jam tacite tibi egeram gratias ob eximium tuum opus in Job publici juris factum & datum Ecclesiæ. Nihil enim in eo genere accuratius, limatius, utilius, majori eruditione refertum huc usque videram: nemoque hactenus Interpretum veterum & recentiorum tantam lucem huic intulerat libro. Mihi quoque gratulatus fueram quod hic inde te Herculem & ἀλεξίκακον præstitisti et Veritatis clavâ contrivisti nova illa Opinionum monstra, quæ sub prætextu absoluti Dei Dominij asserendi, sanctitatem et justitiam ac immutabilem ejus legem impetunt: Cui non è lacunis Scholasticorum Pelagianismum resudantium, sed è fonte Siloë tecum hauserit, tecum etiam sentiet. Sed quasi parum tibi fuisset me communi isto beneficio cum tota Dei Ecclesia obstrinxisse, voluisti insuper ut speciatim essem in tuo ære, transmisso ad me exemplari illius tui laboris: Erit inter pretiosissima mea cimelia, illudque asservabo non solum ut eruditionis tuæ multijugæ aureum monumentum quod perennabit, sed etiam tanquam benevolentiæ tuæ erga me monumentum certissimum; cui semper omni affectu et obsequio ac redhostiendi animo vires cum desint, integerrimè respondebo: Nec enim indignus sim bonorum amicitiâ, si quam tu ultro detulisti, nullo meo merito procuratus, imo et quodammodo pretioso illo munere oppigneravisti, excolere et mihi conservare non studerem. Faciam ergo sedulò, & in hoc solo à te superari non patiar. Atque sic post omnia εὐχαριστίας officia Deum venerabor ut sanctissimis tuis laboribus & studijs affatim benedicat teque nobis diutissimè præstet incolumem. Vale. Groningæ XXV. Maij 1644.

Tibi ad omnia addictissimus,

Samuel Maresius.

Epiſtola 92. 10

Epiſtola 91.

S.

Clarissimo, Celeberrimo, Doctissque
viro D. Dno, Joh. Corceio, Stæ Theologiæ
Doctori et Professori Dignissimo in
inclyta Frisiorum Academia, Domino,
Fautori, et Amico meo semper
colendo.

Franekeram